



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 12. Quatuor Præsules a Clementi XI. Pontifice Romana Purpura decorati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII. A. C. 1713. simum pacis nuntium Villarius Parisios & Eugenius per Lambergium Comitem Viennam pertulit, summis ubique lætitiis exceptum: Pontifex quoque die septima Aprilis Galliarum Regi maximum explicabat gaudium, quod ex fausto, ac tantopere exoptato successu percepisset, simul etiam eundem rogabat, ut unacum Imperatore Catholicorum Principum quartum Riscensis pacis articulum omnino abrogari denuo molientium violentiis fortiter obniti & afflictæ Hildesienfi Ecclesie opitulari velit.

## §. XII.

*Quatuor Præsules a Clemente XI. Papa Romana Purpura decorati.*

*Vit. Card.  
tom. 1.*

Hoc item anno die trigesima Januarii Pontifex Purpuratorum Collegium auxit, & quatuor Præsules, quos jam anno priori die decima octava Maii creatos adhuc in pectore servabat, in secreto, ut vocant, Consistorio evulgavit. Hos inter primus erat Emanuel Arias Hispalensis Archiepiscopus ad Philippum Hispani Regis preces nominatus Cardinalis sine titulo. II. Benedictus Sala Ord. S. Benedicti Episcopus Barcinonenfis, Cardinalis ad nominationem Caroli III. Hispa-

Hispaniarum Regis, pariter sine titulo. Sæc. XVIII.  
 III. Melchior de Polignac Rotæ Romanæ Auditor a Ludovico Galliarum, A. C. 1713.  
 & Jacobo III. Angliæ Regibus nominatus Cardinalis Diaconus. IV. Benedictus Erba Odescalcus Mediolanensis Archiepiscopus Presbyter Cardinalis tit. SS. Nerei & Achillei.

## §. XIII.

*Ven. Josephi Mariæ Tomasii Cardinalis obitus.*

Horum inaugurationem maturabat Pontifex, eo quod intra paucos Menses ex Purpuratis plures decessissent, & quidem hoc anno die prima Januarii obiit Joseph Maria Thomafius Panormitanus. Hic Parentibus vitæ sanctimonia, generisque nobilitate inclytis natus cum lacte materno pietatem, amorem erga pauperes, liberalitatemque hausit, jussuque Ducissæ Matris suæ infans adhuc ab ubere Nutricis pendens, elemosynam egenis largitus est. Prima, quæ protulit verba, charitatem in Deum, & odium in peccatum testabantur, & unacum Matre ad Palmanæ Ecclesiæ fabricam lateres & cæmenta teneris suis humeris portabat, nilque magis ei familiare erat, quam pauperum pedes abluere,  
*Orat. Consist. Clem. XI. pag 83. Hist. Pontif. t. 2. p. 223.*  
*Hist. Eccles. Tom. LXVIII. Mm eis*